# Controversia.

## An ad actus supernaturales eliciendos necessario ponenda sit in humana voluntate aliqua gratia adeo ex se efficax ut eidem positæ voluntas repugnare non possit nec illam abijcere.

### Caput 1um

### Quænam sit hac de re Patrum Dominicanorum et Patrum Societatis Iesu sententia.

Sententia Patrum Dominicanorum. Duplex ponit in homine auxilium praeveniens, unum sufficiens, alterum efficax. Auxilium sufficiens vocat quo potest homo converti ad Deum, fieri tamen non potest ut eo solo convertatur, nisi alterum, quod efficax vocat, accedat. Et hoc ipsum auxilium efficax situm esse dicit in physica quadam motione vel applicatione voluntatis, quae fit a solo Deo nihil cooperante libero arbitrio; et qua Deus adeo efficaciter voluntatem movet ad operandum ut ei motioni nec resistere valeat, nec illam abijcere, dato quod eam receperit; quod dicitur a Theologis in sensu composito quamvis voluntas in se spectata possit non operari: quo solo servatur libertas humanae voluntatis.
Addit praeterea hoc auxilium efficax seu applicationem praecedere quamlibet determinationem nostrae voluntatis ad actus eo auxilio et applicatione eliciendos; ipsamque solam applicationem causam esse omnis determinationis voluntatis; ita ut nihil voluntas ex se possit efficere quo eius vim et efficaciam vel abijciat vel impediat: sed Deum sua libera voluntate auxilium hoc cui velit praebere, cui velit denegare nulla habita ratione vel concomitantis vel antecedentis determinationis voluntatis.
Deinde docet hoc auxilium praeveniens ita necessario exigi ad operandum, ut absque eo omnino nequeat voluntas operari, aut se ullo modo ad actum determinare.
Denique hoc auxilium praeveniens, et ex se efficax causam esse dicit qua voluntas creata adaequate operatur, eo quod sit causa concursus voluntatis. Testimonia sanctorum patrum, et scholasticorum quibus haec nititur infra in obiectionibus contra nostram sententiam afferemus.
Contra vero sententia Patrum Societatis Iesu duo asserit. Primum auxilium praeveniens internum de quo solum est hic disputatio situm esse in quadam illustratione intellectus, seu sancta cogitatione, et in motu quodam voluntatis non deliberato, sive timoris ille sit sive spei, sive alterius cuiusque boni affectus; quae omnia ad vocationem pertinent.
Alterum nullam omnino dari motionem seu applicationem aut auxilium praeveniens determinationem voluntatis adeo ex se efficax, et voluntatem physice praedeterminans, ut illi, si nolit, voluntas dissentire non possit vel illud abijcere.

UGR Biblioteca Universitaria
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

# Caput 2um

## Testimonia d. Augustini pro sententia patrum Societatis Iesu

Cum tota haec disputatio Aug.ni potissimum testimonijs nitatur, qui omnium optime hac de re scripsit multis in locis, operae pretium erit videre quid Augustinus dixerit in nostra sententia; nobisque duo erunt ex Aug.no probanda; alterum in Aug.no nullam esse huius praemotionis, seu physicae applicationis voluntatis praedeterminantis, mentionem; quod in obiectionum solutione praestabimus. Alterum, Augustinum ubique gratiam praevenientem, seu praevenientis auxilium in vocatione constituere, quae sanctas cogitationes et indeliberatos voluntatis affectus includit.

Primum testimonium Augustini sit ex libro de spiritu et littera cap. 34. Attendat (inquit) et videat non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus ut velimus et ut credamus; sive extrinsecus per evangelicas exhortationes ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suae ut ad gratiam iustificantem credendo confugiat; sive intrinsecus ubi nemo habet potestatem quid ei veniat in mentem, sed dissentire vel consentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei ~~[illegible]~~ credat; neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat. etc. Ecce in Augustino nihil de hac physica applicatione, sed tantum de vocatione per visorum suasiones.

2um sit ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. Ubi invitationi et admonitioni, quae ad vocationem pertinent, adscribit initium nostrae salutis, et quod inspirationibus acquiescamus. Manet ad quaerendam salutem arbitrij libertas, sed admonente prius Deo et invitante ad salutem, ut vel eligat vel sequatur; et initium nostrae salutis Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferae inspirationi nostrae potestatis.

3um sit ex libro primo qq. ad Simplicianum q. 2 quam quaestionem Augustinus ipse tam saepius lib. de praedest. sanctorum cap. 4 plurimum laudat, et ad eam legat omnes qui cum ipso in doctrina de concordia gratiae et liberi arbitrij proficere studeant. hac ergo quaestione 2a sic loquitur. Aliter praestat quod velimus, aliter quod voluerimus; ut velimus enim et suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Ubi Deo tribuit vocationem, quia solus Deus eam largitur, nostrum vero ait esse vocationem sequi, qua nostrum est vocationi cooperari. et de Esau eodem loco. Noluit (inquit) Esau et non cucurrit; sed et si voluisset et cucurrisset Dei adiutorio pervenisset; qui ei etiam velle et currere praestaret vocando nisi vocatione contempta reprobus fieret. Vult ergo Augustinus his locis Deum praestare nobis ut curramus velimus et operemur, et hoc praestare per vocationem suam etc.

4um sit ex eadem q. 2. Non igitur putandum est (inquit) ideo dictum non volentis neque currentis, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius, quia nisi eius vocatione, non volumus. Et ipsam vocationem istam effectricem appellat bonae voluntatis. et eadem q.ne paulo post hoc modo interpretatur illa Non ~~[illegible]~~ ex operibus sed ex vocante. Nisi ergo (inquit) vocando praecedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc

videlicet quod vocaverit ) assignat facultatem bene operandi. Et infra: Vocando Deus praestat et fidem. Et infra. Quia ei ( Esau videlicet ) velle et currere vocando praestaret &c. Demum infra: Quia vocatio praecedit bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus. Quibus fit Augustinum tradere q[uaestio]nem causam fidei et voluntatis nostrae ad vocationem solam revocare, ac per eam causam nostrae volitionis explicare.

5[um] fit ex epistola 107 ad initium, quam semel saepe, et eundem loquendi modum semper usurpavit. Si ergo ita praepararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem ut tantummodo legem suam atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta sic eius ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinae accomodaret assensum; procul dubio eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac praedicare sufficeret, neque opus esset orare eos &c. Quibus verbis Pelagio asserenti Deum sola praedicatione praeparare et operari in nobis voluntatem, vocationem illam altam atque secretam opponit; qua homo a Deo movetur ut assensum praebeat externae praedicationi &. Et in hanc sententiam explicat illud ad Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis velle et perficere; quae perperam Pelagius ad externam tantum praedicationem referebat.

Postremum fit ex libro de praedest. S[anctorum] ad medium, cuius sunt haec. Nec quia credimus, sed ut credamus vocamur; atque illa vocatione quae sine poenitentia est, id agitur penitus et peragitur ut credamus. Et in fine. Deus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum, de qua multis loquuti sumus; ut non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur. Quis igitur inficiabitur Aug[ustinu]m saepissime vocationi tribuere gratiam praevenientem, non physicae applicationi voluntatis vel praemotioni?

## CAPUT 3[um]

## Alia testimonia ex concilijs et S[ancti]s patribus pro eadem sententia.

Ad haec Aug[ustin]i testimonia accedunt alia Conciliorum, et sanctorum patrum, et eorum praecipue qui sectatores Augustini habiti sunt.

P[rimu]m igitur sit testimonium p[rim]um auctoritas Celestini papae, epist. ad episcopos Galliae, huius inter opera Aug[ustin]i c. 7. qui tradens Episcopis quosdam quasi Canones fidei a patribus acceptos, quos haec (inquit), effecerunt apostolicae antistites dum illos approbarunt, affert inter ce[tero]s canonem Episcoporum Africae in epistola quadam ad Zosimum ~~cuius canonis~~ [verba] illa verba, [nempe] Praeparatur voluntas a domino, hoc pacto interpretentur ~~[illegible]~~. His verbis canonem explicat, [nempe inspirationibus] ut boni aliquid agant ipse tangit corda fidelium. Ecce per inspirationes, quae ad vocationem pertinent, Celestinus praeparationem voluntatis explicat.

P[rimu]m praeterea auctoritas Concilij Arausicani 2 Canon. 5. ibi. Per gratiae donum, idest, per inspirationem spiritus sancti. Et canone 7. ibi: Absque illuminatione et inspiratione spiritus S[ancti]. et eodem modo Canone 8.

P[rimu]m denique auctoritas Concilij Tridentini sess. 6. Canon. 5. Ubi exordium iustificationis in

adiutis a gratia praeveniente innuendum eam desinit. Et explicans quaenam sit haec gratia praeveniens subiungit. Hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur. Frustra igitur additur alia physica applicatio seu promotio praeveniens determinans ex nostrae voluntatis.

Probatur 2º Sacrae sententia testimonijs SS. patrum. et

1º Cyrilli Alexandrini, qui c. 7. l. 4 in Joan. in illa verba: Omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad me, sic loquitur. Ubi non adhibita disciplina doctrinaque abest, ubi fides non vi sed persuasione oritur patrocinioque Dei patris, quod ex caritate dignis tribuitur; non vi obsistentes sensibiles agnoscunt. Gratia ergo, ex Cyrillo, in doctrina disciplina ac persuasione consistit, non in aliqua vi quam Patres Dominicani exigunt, et Cyrillus reijcit apertissime. Non vi Christum &.

2º Methodij lib. de libero arbitrio, cuius testimonio utitur Turrianus lib. 4 contra Magdeburgenses cap. 2. et afferetur infenius, qui gratiam praevenientem exponit solum revocat ad vocationem voluntariam, declarationem, et admonitionem.

3º Prosperi Aquitanici, qui optimus fuit Augustini discipulus et doctrinae eius interpres ex l. 2 ~~cabus~~ de vocatione gentium cap. 26 alias 9 haec habet. Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter praeeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando et fidei affectionibus imbuendo. Quibus verbis gratiam praevenientem describens eam universam (si exempla et signa excipias), in consilio et illuminatione constituit, quae sunt ex parte intellectus; et in fidei affectionibus, quae sunt ex parte voluntatis. Loquitur autem de motu non deliberato; nam de consensu deliberato, in quo statim exhibitam gratiam cooperantem, statim illa adiungit. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei et quae coniungitur, quae ad hoc praedictis est excitata praesidijs, ut divino in se cooperetur operi; et incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium. Et infra. Hinc autem consensus non solum cohortatio praedicationum et incitamenta doctrinae, sed et metus gignit: propter quod scriptum est, Principium sapientiae timor Domini; qui quantulibet terroribus inferatur, non aliud agit quam, ut quem fecerit timentem, fecerit volentem.)

4º. Bernardi aureo opusculo de gratia et libero arbitrio. Ipsa (gratia scilicet) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat ne sentiat defectum. Sic autem ista tria cooperatur cum arbitrio ut illud in primo praeveniat (videlicet cum seminat cogitatum) in ceteris comitetur, (non ad hoc usque praeveniens, ut iam sibi deinceps cooperetur. Et paulo post illa. Si ergo Deus tria haec, hoc est bonum cogitari, velle, perficere operatur in nobis: primum profecto (videlicet cogitatum) sine nobis; secundum (nempe affectum et consensum) nobiscum; tertium (videlicet actum et opus) per nos. Expresse ergo Bernardus gratiam praevenientem in cogitatione constituit, nec ullam aliam exigit physicam applicationem, cui contrarius probatur.

Ulterius. Ipse d. Ts. qui optime callet doctrinam Augustini numquam huius physicae applicationis (si dictionibus eius interpretibus credimus) meminit. Imo eam reijciunt de medio S. Ts. Caiet. p. p. q. 14 art. 13 versiculo. Neque sustinendus. Ferrariensis 3. contra Gentes c. 159 versiculo Advertis

ubi, ad praeparationem ad gratiam, solum requirit auxilium internum dirigens atque excitans voluntatem, quae ad vocationem prout debito pertinet. Deniq. Hieronymus Perez q. p. art. 1. et alij:

# CAPUT 4um

## Obiectiones ex S. Augustino contra sententiam patrum Societatis Jesu.

Objiciunt contra hanc sententiam ea illa Aug.ni loca quae affert Gregorius Ariminensis in 2. dist. 8. q. 1. ar. 3. ad 12 arg.

1.us locus est libro de gratia et libero arbitrio cap. 16. Ubi ait. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum. Et infra. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus praebendo vires efficacissimas. Idem indicare videtur lib. de Eccl. dogm. cap. x. quem sequitur Fulgentius lib. 1. ad Monimum. Et cap. 14 eiusdem libri explicat Aug.nus illud Ezechielis 36 faciam ut in iustificationibus meis ambuletis, ratione videlicet gratiae conuenientis et excitantis.

2.us locus est, libro de gratia et libero arbitrio cap. 17 Ut velimus, (inquit) sine nobis operatur, cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus nobiscum operatur; tamen sine illo operante ut velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera nihil valemus.

3.us est lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ante medium, in qua haec habet. Aliter Deus praestat ut velimus, aliter praestat quod voluerimus. Ut velimus .n. et suum esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quo loquendi modo indicat Augustinus Deum in nobis sine nobis facere ut velimus, cum ut faciamus; eundem loquendi modum accepit a Paulo ad Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. Ubi non dixit Paulus Deus est qui cooperatur, sed qui operatur; nimirum ut significaret in nobis Deum solum operari. At liberum actum assentiendi non operatur solus Deus, sed Deus cum libero arbitrio, quo ratione praemotionis, seu physicae applicationis dicitur solus Deus operari. Et eadem q. 2. hac ratione dicitur puto a Paulo ad Rom. 9. Non est volentis ~~[illegible]~~ sed Dei miserentis, ac si dixisset Paulus ait Augustinus, sed solius Dei miserentis. At solius Dei non potest esse solus consensus, requiritur quod ut sit applicatio illa prior. His adijciunt Patres Dominicani.

4.us ex cap. 32 Enchiridion; ubi exponens illum eundem Pauli locum ad Rom. 9 haec ait. Restat ut propterea dictum intelligatur, non volentis, neque currentis sed miserentis Dei; ut totum Deo tribuatur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuuandam, et adiuuat praeparatam. At praeparari voluntatem nihil aliud est quam praeparari ad consensum quo. Sed in his locis Augustini nulla est mentio illius physicae applicationis, quam non relinquat in voluntate potentiam ad dissentiendum, quam ex Aug.no probari dicunt. quam ratione sine hac loca intelligenda sint dicemus.

# CAPUT Vm

## Soluuntur obiectiones ex Augustino.

Totum vis horum locorum sita est in illa locutione Aug.ni Deus facit ut velimus, ut faciamus

quod loquuntur, si rebus perpendantur nec illis favet, nec obest nobis. Ubi n. physicae huius praemotionis seu physicae applicationis meminit Augustinus, quae ita physice praedeterminet voluntatem, ut omnem illi potentiam auferat dissentiendi? Et tamen hoc patres Dominicani ex Aug.no probare debuissent.

Praeterea probare deberent non [struck: sufficere] satis esse, si haec loca de vocatione exponantur, de vocat. (inspiratio)[ne] qua [+ suasionibus, ex- pirationibus, et alijs huiusmodi] movemur ad bonum, ut in ijs demum et ab ipsis in obedientibus, et a nobis pro nostra sententia allatis ipse se explicavit Augustinus. Vocatio n. morali [determinatione] quadam [struck: ratione] trahit ut velimus, medijs illis suasionibus, inspirationibus, affectionibus, quas eo commemorat pater a nobis allati. Neque Deus frustratur effectu suae vocationis si adhuc [redacted] relinquat potentiam dissentiendi in voluntate, quia cum Deus infallibili scientia noverit quae vocatio sit congruens et proportionata, eam [...] tunc adhibet, cum praevidet [eam] conversionem operaturam. Et hoc pacto vocans nos Deus vere ac proprie dicitur, Deum donare nobis nostram conversionem, Deum esse causam illius etc.

Sed instabis. Augustinus asserit solum Deum sine nobis operari hanc conversionem et voluntatem ut cap. 17 de gratia et libero arbitrio, et cap. 18 ubi sic loquitur. Ut apostolus Paulus de illo vocaretur, et tam magna et efficacissima [redacted] vocatione converteretur gratia Dei erat sola; at idem Augustinus supra dixerat loci allati suum esse velle et nostrum sed vocando nostrum sequendo. Ergo eo est exponendus Augustinus de hac physica applicatione. Nam cum omnis efficientia nostra a Deo sit ratione illius praecedentis applicationis physicae seu praemotionis Deus dicitur ab Aug.no solus operari. Verum haec explicatio verborum Aug.ni quam patres dominicani vocant esse convincendam, gravissimorum theologorum suffragijs reijcitur, qui ea verba, Deus solus operatur sine nobis operari, referunt ad primum actum voluntatis non ad actus consequentes, et ideo divinam gratiam operantem referunt ad primum actum, ad actus vero sequentes, gratiam cooperantem. praeter inspirationem amplexantur Suarez, ut omittam alios qui eum sequuntur ex eadem familia, cap. 16 de nat. et gratia. Praeterea ipsis verbis Aug.ni eodem cap. 17 refellitur, sunt autem haec. Cum autem ut ipsi ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Et infra. Ut velimus sine nobis operatur, cum autem volumus et sic volumus ut faciamus nobiscum cooperatur. Certum est igitur [struck] Aug.num loqui de vocatione et determinatione in genere causae moralis vocantis, et allicientis, ut dicit, solius Dei. In quo genere causae (ut solutio clarior sit) diverso modo operatur voluntas in primo actu, et in sequentibus. et Deus ipse diverso modo operatur in ijsdem. Nam in primo actu nullo modo voluntas se ipsam allicit, excitat, et (ut ita loquar) vocat, quo possit elicere primum actum; sed Deus solus hoc efficit suis inspirationibus et quare in hoc genere soli Deo tribuitur primus actus; at in actibus sequentibus ipsa se excitat et movet ad opus voluntarijs suasionibus et consilijs a primo illa voluntate fluentibus; quare in hoc genere [non iam] solus Deus [struck: tribuitur primus actus] sed voluntas cum Deo actus elicit consequentes. Quae omnia optime Bellarm. satis in Aug.na versatus l. 1. de gratia et libero arbitrio, et Greg. de Valentia to. 2. suae Theol. disp. q. 3. puncto ex Aug.ni mente declaravit. Nec diversa est ipse Suarez cap. 16 de nat. et gra.

Restat nunc ut explicetur clarius locus ille ex Enchiridio cap. 3. quo firmissime suam sententiam de physica applicatione confirmari putant patres Dominicani. Sunt quia ibi docet Aug.nus non recte explicari illud Pauli Non est volentis et si dicatur, Non est solius volentis; sed ita recte, Nullo modo est volentis. Nam alias (inquit ille) si recte

pri interpretatio, ponet e contra dici; Non est Dei miserentis, relictq. esse interpretatum non est solius Dei miserentis; quod est (inquit Augustinus) nullus Catholicus dicere audebit. Tum etiam quia Augustinus his verbis concludit illa quae dixerat. Restat ut proprie dictum intelligatur Non volentis, ut totum Deo detur. Ex qua clausula infert Pr. Dominicani: Ergo voluntas in illo opere nihil operatur, nisi quatenus applicationi illa physice applicatur a Deo. Verum ut Augustini sententia suo loco intelligatur,

1.o ut certum ponendum est Augustinum eo capite non excludere voluntatem hominis a negotio iustificationis, quod certum est ex illis verbis eiusdem capitis. Cum procul dubio, si homo eius aetatis sit, non possit credere sperare diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernae vocationis nisi ad palmam cucurrerit. Et ex hoc statim infert. Nisi quia et ipsa voluntas a Deo praeparatur; videlicet per vocationem, quam praeparationem ubique docuit Augustinus, ut patet locis allatis, et praecipue ep. 107. At si capitis sui illatione diceret Augustinus, in explicatione huius testimonij totum ad gratiam divinae praeparationis per vocationem conferendum esse, et nihil derogandum propriae virtuti operandi nostrae voluntatis.

2.o Ponendum est Augustinum eo capite disputationem instituere contra quosdam, qui, ut videre licet in epistolis Hilarij et Prosperi ad Augustinum, quibus ante libros Augustini de praedest.e SS. duo asserebant: Alterum et recte, iustificationis negotium pendere et a voluntate hominis quae vult sanari, et a gratia iustificationis et remissionis qua sanatur: Alterum et pessime, gratiam iustificationis sanantem esse quidem gratiam et donum Dei, sed voluntatem sanitatis consequendae esse opus hominis tantum, ex viribus naturae. Et utraque haec propositio colligitur ex Augustino cap. 2. ad finem in lib. de praedest. SS. Volens a se ipso esse quod credit, quasi se componit homo cum Deo ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinqueret. Siquidem isti eodem modo sentiebant de voluntate sanandi, et de prima fide. Et de Hil. illa epist. ad initium Ibi: Eo merito quo voluerint et crediderint. Denique asserebant hanc voluntatem mereri gratiam iustificationis, ut constat ex verbis Hilarij loco citato, et Aug.ni contra duas epist. Pelagij lib. 4 cap. 6. Ex quo tandem concludebant meritum incipere a libero arbitrio, teste Aug.no de praedest. SS. cap. 2. ad principium. Ibi: Eo merito, quo coepit a nobis.

Haec igitur secundum dictum Augustinus cap. illo 32 impugnanda suscipit, et tribuens ipso sensum suae disputationis proponens, haec ait. Item ne quisquam glorietur de arbitrio voluntatis, tamquam ab ipso incipiat meritum, cui tamquam debitum reddatur praemium

bene operant. Quare hos impugnans Augustinus non refellit primam eorum propositionem sed secundam qua Deo solam remissionis gratiam tribuebant, voluntatem vero sanandi soli libero arbitrio; et contra hanc 2.am propositionem ait non solum gratiam sanantem, sed etiam sanandi voluntatem esse donum Dei: quod confirmat illo Pauli ad Philipp. 2. Deus qui operatur in nobis velle, et ad Rom. 9. Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei; quia voluntas (inquit) a Deo praeparatur, per vocationem scilicet, ut ostensum est. Quamobrem in fine repetit quod initio capitis proposuerat meritum non incipere a libero arbitrio, sed a vocatione Dei quae praevenit liberum arbitrium, nobisque largitur voluntatem sanandi; ut ad finem capitis fusius declarat.

## CAPUT. 6.

## Soluuntur obiectiones ex d. Thoma contra eandem sententiam.

Crebra est in d. Th. divinae applicationis mentio, et de ea multis in locis more suo acute disserit; ideirco Patres Dominicani suam physicam applicationem divi Thomae potissimum testimoniis confirmant; quae an id probent, quod ipsi dicunt, deinceps videbimus, at varia applicationis genera, quae tradidit d. Th. ex eiusdem doctrina distinguenda sunt.

Multis modis Deo tribuit d. Th. causarum esse status. 1.o ut primae causae, a qua omnia sua virtutem agendi et inclinationem ad opus acceperunt, ut motus gravium tribuitur generanti. 2.o tamquam causae intime assistenti virtuti agentis, et inclinationi eiusdem, easque aeternali concursu conservanti; et ob hanc causam d. Th. 1. p. q. 105. art. 1. ante 5 Deum ait se habere ad causam 2.am quasi in genere causae formalis, non quod vere causa formalis sit, sed quod instar formae intime assistat virtuti agentis. 3.o ut actu influenti in effectum cum causa secunda. Et hi sunt tres modi generales quibus Deus concurrit cum omnibus causis secundis tam liberis quam necessarijs; et quolibet horum modorum dicitur Deus applicare causam secundam ad opus praecipue vero duobus prioribus. Est enim applicare ordinare causam ad opus; et sua inclinatione quaelibet causa ad opus ordinatur: quo fit, ut quo pacto Deus est causa inclinationis causae secundae, sic etiam causa applicans sit. 3.o item modo recte dicitur Deus ordinare causam secundam ad opus, quatenus ipsa naturalis inclinatio non ordinat proxime causam ad opus, nisi adsint omnia ad opus requisita, inter quae maxime est Dei concursus; quem cum praebet Deus optime dicitur ordinare, et applicare ad opus causam secundam, quippe quae sine illo concursu relicta suae naturae non haberet virtutem operandi: Iam cum duplex sit causarum inclinatio, altera naturalis, altera libera; varia quoque erit causarum applicatio. Causa naturalis

UGR Biblioteca Universitaria

129

UGR Biblioteca Universitaria

UGR Biblioteca Universitaria

UGR Biblioteca Universitaria

UGR Biblioteca Universitaria